



1. Bock / Friderici Samuelis / Diss. De Notione Immensitatis Dei amplificanda Cömm. contemplatione magnitudinis Mundi. Regiomonti 1766. Autor J. C. Reccard.
2. Bode / Christophorus Augustus / Protevan. gelium Genesios Cap: IIII Vers: XV. Helm. Stad. 1763.
3. Boekner / D. philip Adolph: / programma, de Christo filio Domini, Halle 1765.
4. ——— programma, addita est illustratio addita est illustratio loci 1 Corinth. XII. vers, 51, Halle 1766.
5. ——— programma in Commentationem ad illustrationem Actorum Apostolorum, 1766.
6. Büchner / D. Andreæ Elie: / programma in diem natalem Christi, Halle 1768.
7. Carrach / Joh. Tob: / programma paraclati Appellatione Spiritui Sancto tributa, Halle 1764.

7.

ACADEMIAE FRIDERICIANAE
PRORECTOR
D. PHILIPPVS ADOLPHVS
BOEHMER

MED. ANAT. ET CHIRVRG. P. P. ORDINAR.
ACAD. CAESAR. NAT. CVRIOS. ITEMQVE IMPERIAL. PETROPOL.
NEC NON REG. BEROL. SCIENT. ET PARIS. CHIRVRG. SODALI.

CVM
D I R E C T O R E
ET
SENATV ACADEMICO

FESTOS ISTOS DIES

REDEVNTI AB INFERIS CHRISTO SACROS RELIGIOSE AGENDOS
INDICVNT.

ADDITA EST ILLUSTRATIO OBSCVRIORIS LOCI

1 COR. XV^o, 51.



HALAE, EX OFFICINA BEYERIANA.



Feliciter igitur hoc tempus viuendo iterum attigimus, *aesumatissimi Ciues*, quod est ad vniuersum Christianum orbem praecipue salubre ac frugiferum. Solemnis enim, quae publice agitur, redeuntis ex morte Iesu Christi memoria, eo iustius ingeniam et propriam nobis omnibus adfert laetitiam, quo certius ista inusitata historia vniuersae, quam Christus gessit, saluberrimae provinciae fructus ampliffimos nobis spondet. Scimus iam *Φοβερωτατον* illud *παντων των Φοβερων*, mortem, quam effugere mortalium nemo potest, a Christianis ita posse oppeti, vt funesto illo metu et immani horrore non concutiantur. Vicit Christus, vicit nostro bono et commodo, vniuersam mortis infestam paraturam. Fidem nobis et spem certam fecit, fore, vt et nos, exuta illa nostri parte, quae est mortalis, animis superstitēs, tandem meliori cum corpore, felicitatis sempiternae instrumento, coniungamur. Hac fiducia cum et Apostoli et perfectiores christiani omnes olim soleant maxime efferri, atque hanc vitae vanitatem, eiusque cuncta pericula, magno et forsi animo contemnere: mirum non est, non defuisse alios tirones, qui ingentis rei miraculo quasi stupentes, et subtimidi, de ista causa curiosus (!) requisierunt. Quorum ingenua fedulitas cum sit longe minus reprehendenda, quam eorum siue ignauia siue turpido, qui huius quod est vitae sic transigunt, vt nec de breui eius

(!) Variarum opinionum siue clara siue obscura vestigia, vel in ipsiis sacris libris facile obseruari possunt. Hi enim, quos *αδελφους*, alicubi *συναγωγας*, Paulus nominat, mortem ideo minus amabant, quod putarent impedimento illam esse, quo minus cum Christo, cuius reditus instaret, felicem in terra vitam viuerent; ferociores alii, e *Sadducaeorum* consuetudine non nihil vitii traxerant. Ab vtrisque *Gnostici* secedebant, qui *carnis* istam et vitae in terra agendae felicitatem, quam Iudaea inuenitior opinio informabat, recte auerfabantur. Nec hac in causa *Tertulliani* aliorumque vehementiores declamationes aduersus *Gnosticos* multum apud nos valere possunt, cum sciamus *Tertullianum* et ipsum fuisse ex iis, qui mille annorum felicitatem terrestrem iam expectabant.



eius termino nec de praecipuo eius ad futuram aeternitatem momento, vel vniquam cogitare videantur: non fuerit a consilio huius descriptionis alienum, eius temporis paulisper nobis reuocare memoriam, quod fuit ab ipsi, quae ad Christum inter homines versatum pertinet, historia, minus remotum. Erit certe non inuenusta opportunitas illustrandi alicuius loci, 1 Cor. XV, 51, qui subobscuro aliquod carmen (2) complectitur, licet praecipue ibi Paulus operam dare videatur nouae huic disciplinae, de corporis nostri meliore, quod instat, olim schemate.

Igitur illustrat eo loco Paulus hanc causam haud paulo plus, quam ceteri sacri scriptores; quia erant inter Corinthios, qui de ingenti illa re eo diligentius ipsi commentabantur, quod non deerant, qui studiis peruersis nouellam fidem audent conuellere. Itaque toto isto capite XV primae ad Corinthios epistolae Paulus dedito consilio hanc causam agit, et, quod fere solet, imperitioribus mitissime ita dat operam, vt vel ad eam quaestionem aut dubitationem leniter respondeat, v. 34, quam grauius proicere atque reprehendere poterat, nisi benignum illum modum, alios, vt capere et ferre poterant, gnauiter erudiendi, imitari solet, quem luculento exemplo ipse praeciuerat Christus. Peroratur tandem v. 51. addit, Ἰδῶ, vt rem omnem breuissime absoluam, *μυστηριον ὑμῶν λέγω*. Rem et antea ignotam, et sua ratione, dum contingat, obscuram, vobis, (amicis, vt *Theodoretus*,) vt possum prodo. Πάντες μὲν ἔ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα. Haec sententia, quae paucis verbis constat et satis claris, iam inde ab antiquissimis temporibus, scribendo atque interpretando varium in modum tractata fuit: vt operae pretium forte sit, eam paulo diligentius a nobis illustrari. Est certe eius generis, vt, si quo adhuc opus sit ad eam recte arbitrandam beneficio, illud praecipue ab huius modi descriptionibus academicis sit expectandum, quae iis lectoribus maxime solent destinari, qui ab exercitatione quadam ingenii minus absunt, quam alii.

Triplex autem occurrit huius sententiae, si e christianis reperitur auctoribus, diuersitas. I. Plerique codices graeci (3) Epistolarum, qui nobis supersunt, eo illo modo omnes eam exhibent, vt paulo ante eam descripsimus; vt adiecta sit negatio ad verbum *κοιμηθησόμεθα*. Atque ita *Syriaca* ecclesiae constanter legit; *copiata* etiam translatio et *arabica*; *graeci* fere omnes scriptores, inde a *Chrysolomni* (4) certe tempore. Excitauit autem *Hieronymus* etiam *Theodorum*, *Heracleotam*,

(2

et

- (2) Ex antiquioribus vel *Hieronymum* excitate sufficiat, cuius exstat illa celebris et frugifera ad nos Epistola, ad *Minevianum* et *Alexandrum*, quae de hoc carmine diligenter exponit; non audeo *Hieronymus* pronuntiare, quatenam sit vera et genuina scriptura huius loci; nec audeo *Augustinus*, nec *Oecumenius* nec alii. Ex superiori tempore *Erasmus*, *Zegerus*, *Cornel.* a *Lapide*, *Benedictus Iustinianus* in 1 Cor. XV, verborum de hoc loco tractant; *Marlotatum*, *Simonium*, aliisque appellare non attinet. Varias sententias facile colligere licet; sed plerumque locum habet illud, vt iis perfectis tamen dicam, *in certis sum multo quam ante*. Multi alii commentatores, *Zwinglius*, *Melancthon*, *Major*, *Hemmingius* etc. hanc lectionis difficultatem non attingunt.
- (3) Vid. *Erasmii* annotat. *Millii* et *Wesfensii* editionem N. T. *Bengelii* apparatus criticum. Plerique codices conueniunt; sunt enim fere ex iisdem prouinciis, arque simili omnes ingenio. *Ecclesiastica* textus graeci instat quasi proprium et perpetuum obseruare licet inde a seculo quinto. Vix quinque aut sex codices graeci ex iis, qui nobis tam multi supersunt, ab hac vulgata et excursa lectione graeca discedunt.
- (4) *Chrysolomus* aliquoties his ipsis verbis hunc verum excitat; etiam auctor *expositionis fidei*, qui *Institui M.* nomine solet excitari, quem fere seculo 5to scripsisse constat. *Theodorum Heracleotam*, celeberrimum



et Apollinarium, qui legerunt, *omnes quidem non dormiemus*; omnes autem immutabimur. Antea enim, *Origenis* aerate (5), e quo *Didymus*, *Acacius*, aliique eam scribendi rationem recentent, legebatur in *graecis* aliis quibusdam libris, *παντες μεν κοιμηθησομεθα*, sine negatione; quae translata fuit ad sequentem partem, *non omnes autem immutabimur*. Atque huius generis clarum vestigium superest adhuc in alexandrino codice; qui a prima manu exhibet, *παντες μεν κοιμηθησομεθα*, *οι παντες δε αλλαγησομεθα*; omnes quidem dormiemus; omnes autem immutabimur. Quod nullam continet sententiam, certe non probabilem. Satis enim de eo constat, *Paulum* occupare illud: fore alios adhuc superstitis, qui lucrifaceta morte, ut *Tertulliani* phrasin exscribamus, tantum *Demutandi* sint. Accessit autem *senior* emendatio; *ε κοιμηθ. ε παντες δε*; non omnes dormiemus, non omnes autem immutabimur, quae sententia a vero non abest, licet nihil adsit auctoritatis et locupletis testimonii, quod fidem nobis faciat, hunc modum loquendi aut *Pauli* ipsius aut vetustiorum codicum fuisse. Satis vero iam constat (6), alexandrinum codicem non ex vnico tantum exemplari descriptum fuisse, sed e pluribus; saltim librarium duo epistolae codices in manibus habuisse; quorum cum iam fuerit quibusdam in locis diuersa quaedam lectio, et cuilibet regioni propria recensio, parum recte factum est, quod e diuersis vnus loci lectionibus procurauit librarius aliquam mixtam; quae iam demum primum occurrit hoc in codice, non vero in aliis. Nobis autem illud hic sufficit: a prima manu, ante, quam correctio accederet secundum vilitas isto tempore codices, quo tentabatur emendatio, negationem non prescriptam fuisse in hoc codice.

II. Alii igitur satis antiqui codices et scriptores omissa hic negatione produunt, *παντες μεν κοιμηθησομεθα*, *ε παντες δε αλλαγ*. Sic *alex.* a prima manu; *C.* insignis vetustatis liber; codex, quo vsus est *Cyryllus* (7), codex e quo deriuata est translatio *aethiopia*, *Armena*; *latina*, quarundam certe aetatum et prouinciarum.

Pela-

lebrem olim interpretem, haud dubie multi alii secuti sunt discipuli; *Apollinaris* etiam auctoritate olim non caruit. Sed et *Origenes*, mutato tamen verborum ordine, graecam sententiam semel excitar, *ε παντες κοιμηθησομεθα*, licet alibi, *latina* certe in translatione, cum graeca perierit, negationem omitat. Neimpe et ipse *Origenes* duplicem lectionem, sicut *Cyryllus*, *Hieronymus*, *Pelagius*, in diuersarum regionum codicibus reperit

(5) *Hieronimus* narrat, in epistola ad *Misierium* et *Alexandrum*.

(6) Si conferantur lectiones huius codicis, saepius huius rei documenta obseruari et colligi possunt; quod ingenium etiam in quibusdam aliis codicibus deprehenditur.

(7) *Weslingius* *Cyryllum* excitat in *Iohannem* p. 645. (vbi exstat v. 52. *οι κοιμηθ. ε κοιμηθησομεθα*, cum additione) in *Oseam* pag. 30. (hic legitur, *ε κοιμηθησομεθα*) Nos addimus, *Gagnacum* in scholiis ad *I Cor.* 15, 51. scribere: mihi nuper in manus venit graeca *Cyrylli* in hunc locum expositio nostrae (*latinae*) versionis per omnia consentiens, quam hic addere visum est, ne nostram lectionem nullis graecis placuisse lectores credant. *Αναβιωσαντα μεν γαρ τα παντα σωματα, τη της αθανασίας ζωης καταμυσμενα, αλλαγησονται δε ε παντες* etc. *Hieronimus* autem professus fuit, resurgens, non in graecis, sed in latinis libris existisse. Appellat *Gagnacus* etiam graeca scholia *Veronae* impressa: quae *stramque* lectionem habeant; fuerint forte *Catenae*, siue *Occumenii*. Quod autem *Weslingius* *Pamphili* *Apolog.* citauit, fallitur; sententia, quae ibi exstat in *Iesaiam* tom. 23, non certo est ex *I Cor.* 15, 51. *Origen.* in *Matth.* XXX. tom. 3. edit. de la Rue p. 872, omnes quidem dormiemus. Sed *προι αεζων* lib. 2. c. 10, nihil exstat, praeter ista, omnes autem immutabimur; quod

occu-

Pelagius: in quibusdam graecis, omnes dormiemus; in aliis autem, omnes non dormiemus; *Augustinus* aliquoties latinam translationem hanc excitat; *Hieronimus* alicubi ipse, et ex *Didymo* atque *Origene*, refert, omnes quidem dormiemus, sc. quos aduentus Christi non inuenerit viuos. Est autem et illud obseruandum, armenam et aethiopicam solere saepe alibi cum *copta* conuenire. Certum est igitur seculo 4. et 5. fuisse graecos codices non paucos, qui negationem primae sententiae non addebant; licet eodem tempore per alias prouincias etiam extiterint codices, qui sententiam contrariam habebant.

III. Superest lectio latina, quae apud plerosque scriptores lat. occurrit, et quae latinis codices omnes iam occupat: omnes quidem resurgemus (8); sed non omnes immutabimur; cuius posterioris sententiae superest vestigium graecum in codice 17. (9) ἅλλ' ἔ πάντες ἀλλαγησομεθα, cum ceteri graeci legant, ἔ πάντες δε, vt in claromontano et sangermanensi: non omnes autem immutabimur. Prioris sententiae graeca vestigia nulla exstant, praeter codicem D, seu claromontanum, πάντες μὲν ἀναησομεθα, ἔ πάντες δε ἀλλαγησομεθα. Sic D habuit a prima manu (10). Sed huius lectionis in locum iam a posteriori manu legimus correctum, sicut exstat in vulgatis nostris graecis codicibus. Reperimus quidem iam in *Tertulliano*, libro de *Resurrectione carnis* c. 42. eandem sententiam: omnes quidem resurgemus, sed non abest omnis dubitandi ratio: fuerit ne iam antiquitus et semper illa in *Tertulliano* scriptura, quia videri possit ipsius consilio et causae, quam ibi agit, parum conuenire (11). Atque lib. 5. contra *Marcionem* c. 10. hanc sententiam *Tertullianus* omittit, licet ceteram συναφειαν percurrat. Nec desunt exempla alia, quae id fere confirmant, non intemeratam atque omnino integram ad nos peruenisse quorundam allegatorum locorum in eo auctore scripturam. Sed illud est certissimum, *Hilarium* saepius hac ratione istud *Pauli* carmen recitare; ita et *Ambrosium*, *Augustinum*, *Fulgentium*, *Gennadium*, *Ambrosiastrum*, aliosque fere constanter sic recitare. Atque hic primo loco illud non est negligendum, satis luculenter *Hieronimus*

3

occupat illud, vt prior pars fuerit, non omnes dormiemus. Contra *Celsum* p. 242. citat *Wetstenius*; sed ibi, lib. 5. 17. exstat, ἔ πάντες κεινησομεθα, (sine μὲν, et transposita negatione;) *Hieronimus* refert, *Didymum* et *Origenem* exposuisse: omnes quidem dormiemus. Ipse *Hieron.* sic excitat, in *Esaiæ* 51. 6, de sanctis scriptum est: omnes quidem dormiemus; sic et in epistola ad *Principiam*; et *Scholias*tes in editionibus uerustis *Hieronimi* nomine excusit.

- (8) In Sangermanensi: resurgimus; in cod. *Wetsten.* 49. (Lambecii 28) ἔγεισονται. Vobis dico, abest a cod. *Regio*, seu claromont. latino. Vobis etiam abest a codice gothico latino, ap. *Blanchinum*, in *Vindic.* canonic. scriptur. Ecce mysterium vobis dico, nec in *Tertulliano* nec *Origene* alicubi additur, licet eorum disputatio sic tulerit, vt nomen μὲν ἔγειν non negligerent. Sed *Acacius*, *Ephrem*, *Chrysostomus* et feriores alii non praetereunt.
- (9) Singulare est huius codicis ingenium; plurimis enim lectionibus minus vtitis a ceteris codicibus ita coniungitur, vt tamen saepe cum antiquissimis libris auctoribusque consentiat. Est *Colbertinus* 2844. Inter *Euangelia* numeratur a *Wetstenio* 33.
- (10) Solent latino graeci codices fere omnino contemni ab eruditiss; illud autem facile effici potest; iis contineri verissimam graecam illam recensionem, e qua antiquiores latinae quaedam translationes deriuatae fuerunt.
- (11) *Sabaterius* in bibliis latinis ad h. l. At hos errasse editores, (*Pamelium*, *Rigaltium*, de la *Barre*) textumque *Tertulliani* fuisse hic ab imperitis perperam emendatum, existimant viri docti; nec immerito etc.



num⁽¹²⁾ adfirmare, hanc sententiam, (omnes quidem *resurgemus*.) in graecis codicibus, quos ipse illo tempore viderat, non *existisse*; sed alterutram tantum sententiam, *omnes quidem dormiemus* etc. Non omnes quidem dormiemus etc. Atque similem in modum *Augustinus*, etsi saepissime sic recitat, (*omnes quidem resurgemus*) tamen semel, Epistol. 205. addit: omnes quidem *resurgemus*, *vel sicuti graeci codices habent*, omnes quidem dormiemus. Faretur igitur et *Augustinus*, graecam phrasin, quae exprimat istud, *omnes quidem resurgemus*, in codicibus graecis non esse; nec meminimus, vllum veterum scriptorum alicubi referre ista *ex graeco libro*⁽¹³⁾, licet tam multi latinam sententiam ad alios transmittant. Deinde ex Hieronymo annotamus et illud,⁽¹⁴⁾ *Diodorum*, Tarsensem, omisso capitulo seu versu hoc nostro 51, statim sequentia versu 52 explicasse. Quod quid est tandem aliud, quam *Diodori* in codice⁽¹⁵⁾ non lectam fuisse omnem istam sententiam, quae in graecis quibusdam libris *duplex* et varia ferebatur; quod ipsum facile ostendat, non ex vno fonte certo eam fuisse derivatam. Igitur, vt propius istam perspiciamus causam, si Paulus scripserat, *παντες μὲν ἀναστήσομεθα*, quod *latini* soli efferunt, quis tandem ausus sit, illo graeco plane sublato, reponere, *κοιμηθησομεθα*? Aut si addiderat negationem *παντες μὲν ἢ κοιμηθησομεθα*, quis tam fuerat temerarius scriba atque interpres, vt aut auferret negationem, aut contra eius in locum scriberet, *omnes resurgemus*? Habet haec causa molestam difficultatem, vt nec *Hieronymus*, nec *Occumenius* sustinuerit, sententiam in alterutram ferre partem. Quid igitur sentiendum fuerit, et quomodo explicabimus hanc quaestionem, vt triplicis scripturae originem sic perspicere liceat, vt superesse tantum dubitationis non possit, quantum videmus adhuc istum locum fere opprimere? Nam, vtrumque forte dici queat, triplici admodum sententiam elici posse, quae a Pauli consilio non sit aliena: tamen ea via haec res non componitur; cum certum sit, *Paulum* aut vno tantum modo scripsisse, aut triplicem istam phrasin posterioribus interpretibus suam debere originem. Audemus itaque pronuntiare, *additionem triplicem*, summam quasi versus 52 hic occurrere; antiquissimam quidem, variam tamen, in variis provinciis ortam. *Latinarum* ecclesiarum interpretes et presbyteri (omisso quidem; quod postea tamen alii addunt) ad istum *συχον*, qui continebat *οἱ νεκροί* etc. addiderunt explicationem istam, et sententiae summam: *omnes resurgemus, non omnes autem*

(12) In epistola ad Minerium, sine: illud autem breuiter in fine comoneo, hoc quod in latinis codicibus legitur, *resurgemus*, in graecis voluminibus non haberi etc.

(13) Neminem fallant latinae translationes graecorum scriptorum. *Theodoretus latinus*, *Cyrilli* translatio, in *Ioban*. p. 645. edit. *Ioh. Auberti*, et *Nicetae Choniatae* thesauri orthod. fidei interpretatio, (*Petri Morelli*) lib. 4. haereti 37. latina ista praese ferunt, *omnes quidem resurgemus* etc. Sed in graeco textu *Theodoreti* et *Cyrilli* non exstat. Itaque etiam in *Niceta* haud dubie graeca aliter habent. Admonuit de ista inepta romanorum interpretum fedulitate et *Rich. Simonius* et post eum *Wesslenius*.

(14) In Epistola ad *Minerium* et *Alexandrum*: *Diodorus praeterito hoc capitulo* in consequentibus breuiter annotauit, et *mortui resurgent incorrupti*.

(15) *Diodorus* fuit olim inter praestantissimos interpretes, *Nestorius*, *Chrysostronus* et aliis eruditis discipulis satis clarus. Eius Euangelium κατ' *ισαγια* cum *Tatiani* Euangelio excitauit scholion codicis *Wessleniani* 72. Videtur fuisse e genere των διατισσαρων.



tem immutabimur. Nempse, nos christiani omnes, qui ante Christi aduentum secundum dormiuermus, *resurgemus*. Aliter autem *Palaestinaenses* et *Alexandrini* codices, interpretis alius beneficio, habebant, e quibus et *Syra* et *copta* translatio procurata fuit, *omnes quidem dormiemus* (et resurgemus), *sed non omnes immutabimur*. Sic *Origenes*, *Didymus* et plures alii recitant; sic *Cyrillus* semel, sic *Hieronymus* aliquoties, de hac lectione narrant et alii latini. Sensus est similis: nos omnes: qui non attingimus diem Christi, *dormiemus*. Aliter autem graeci ceteri codices per *Antiochiam* (16), per *Orientem*, *Constantinopoli* etc. πάντες μὲν ἔ κοιμηθησομεθα, vt sit sensus, omnes quidem christiani non mortis illum somnum experiemur; quia supererunt e nobis, quos Christi dies viuos occupabit; sed omnes, qui vixerimus, immutabimur. Triplici modo summa versus 52. sic describitur; nec tempus facile poterit designari, quo fuerit quaedam harum additionum ceteris iam prior et antiquior. Atque iam paucorum codicum, quae superest, varietatem facile possumus perspicere. Iam enim illa lectio *alexandrini* codicis, quae est a corrigente, ἔ κοιμηθησομεθα, ἔ πάντες δε ἀλλαγησομεθα, est e duobus libris mixta; licet *Gratio* placuerit, qui ingenium huius codicis nondum cognouerat. In altero negatio adiecta fuit ad primam sententiam; in altero, ad secundam; ex utroque vitrumque hic descriptum fuit. Alii quidam codices 17. et F. G. πάντες μὲν ἐν κοιμ. quae est minus vetusta scriptura, ad componendam istam duplicem lectionem graecam ferius tandem a graeco librario recepta; nemo enim veterum illud ἐν, igitur, recenset (17); ad latinos certe non est rescriptum. Forte non plane displicet eruditioribus ista nostra diligentia et ingenua in sentiendo libertas, qua id sequimur, quod verum maxime esse videtur. Ferocius olim alii contra graecos libros hic loqui audebant; *Emserus* (18) *Lutherum* reprehendit; monachi inuenusti *Erasmus* (19), *Scapleton* autem eandem iniuriam Graecis (20) infert, quorum codices corruptos esse, solam autem *latinorum* translationem recte Pauli sententiam referre, pronuntiauit, quam a *Rob. Stephano* textui graeco inferri volebant Romani, *Parisenses* isto tempore Theologi; postulauerant enim ab eo, vt graecum textum mutaret

(X 4

- (16) *Chrysostrmus* saepius sic excitat; atque ter fere occurrit in *Expositione fidei*; quam seculo 5to plerique tribuunt; atque auctori, qui fere inter *Syros* versatus sit, rationes computandi collegit plures *Maxanus* in editione *Infini* M. in appendice; (*admonitio* huic expositioni praefixa.
- (17) In *Millii* notis occurrit quaedam diuersitas in recensendis varietatibus lectionum; sed sunt quaedam oppido falsa. Neque enim e. c. Scholia *Hieronymi*, *Oecumenius*, *Acacius* recensent ἐν. igitur. Scholia ista habent enim; itaque fuerunt olim codices graeci, qui γὰρ ferebant; ex graecis enim codicibus ista scholia id recensent. Cum igitur et ἔ sit loco incerto, (*Origenes* semel praeponebat, reuocat et *Chrysostrmus* in istum ordinem) et μὲν sit alibi γὰρ, alibi omittitur, etiam vobis alicubi absit: facile patet, interpretum hic varia ministeria occurrere, non scripturam certae alicuius originis.
- (18) *Hieron.* *Emseri* Annotationes *Iber Lutheri* nam *Lesament*, geberest et emendit. Dreßde 1524. 8.
- (19) Vide Annotationes in N. T. editio basil. 1527. fol. Vide et contra *Eduard. Leum*; item in *supputatione* errorum *Natalis Bedae*; in 1 Cor. propositione 176. p. 222. edit. basil. 1527. 8.
- (20) *Thomae Stapleton* principiorum fidei relectio scholastica. Antwerp. 4. 1596. p. 522. multas in graeco textu esse corruptelas et illa: 1 Cor. 15, 51. Ita senserunt etiam *Sotus*, *Catharinus*, et alii minus eruditi Romani.



taret secundum latinam versionem (21). Alii interpretum quorundam ministerio minus iusto tribuunt hoc, quod in *Pauli* verbis fuerint quaedam mutata, siue addendo, siue demendo; quos inter et *Erasmus* est et *Marloratus* (22). Nos autem eam coniecturam ingenue praecire audemus, scripsisse Paulum (omisso v. 51.) Ἰδὲ μυσθριαν ὑμῶν λέγω. ἐν αὐτομῶ ἐν ζήτη καὶ οἱ νεκροὶ ἐγερθήσονται ἀφθαρτοί, (hac voce praecipue ad rem opus est;) καὶ ἡμεῖς, qui superstites fuerimus, ἀλλαγηόμεθα.

Suffecerit autem nostro consilio brevis ista disputatio. Superest, ut et nos caueamus, ne ista in sedulitate imitemur infirmiores illos, qui felicitatis vulgatum genus a Christo expectabant, et de modo et ordine resurrectionis sic quaerebant, ut praecipuam christiani laudem fere negligenter, qui τὰ τῷ πνεύματος maxime et cogitat, et quaerit et agit. Christum spiritualis et non periturae vitae ducem secutus. Reperenda igitur nobis est per festos istos dies haud paulo studiosius, vniuersa illa Christi provincia, atque historiae ingenua indoles, ut et nos salubriter agnoscamus Christum, et virtutem resurrectionis eius, Philip. 3, 10. Huic rei, Aestumatissimi ciues, date iam liberaliter operam, ut omnino omnes abstineatis ab omni foeditate mentis et vitae, si qua fuit adhuc, turpitudine. Scimus enim atque perspicimus, ideo Christum vel mortis istam infamiam non deprecatum fuisse, ut saluberrimis doctrinis et beneficiis publica ad nos non deesset auctoritas et fides, ut nos, quorum bono ista omnia fuerunt administrata, non ultra in pristina mentis perueritate et caecitate, nobis et perituro huic mundo, viuamus, sed ut nouam vitam, quae est Christianorum, ingrediamur. Publicam certe solemnitate ita ipsi exornate, ut tantae rei memores sitis, quam *Terrulliani* verbis, sed nostro sensu, describimus: „quemadmodum nobis arrhabonem spiritus reliquit Christus, ita et a nobis arrhabonem carnis accepit, et vexit in caelum, pignus rotius summae illuc quandoque redigendae. Securae estote caro et sanguis! vsurpatis et caelum et regnum Dei in Christo. „ P. P. Halae d. 29 Martii 1766.

(21) Ad censuras Theologorum parisiensium, quibus biblia a *Roberto Stephano*, typographo regio, excusa, calumniose notarunt; eiusdem *Roberti Stephani* responso 1552. mai. 8. p. 36. Exscriptus est locus integer in libello germanico, de graeca editione N. T. complutensi, qui Reuer. *Goezio*, Hamburgensi, oppositus est, pag. 121. 122.

(22) Diversitas lectionis inde orta est, quod vera lectione offensus quidam acuti lectores, supponere ausi sunt, quod magis probabant etc. *Erasmus* in notis; *Marloratus* Exposit. ecclesiastica in locum.



78 L 1708

ULB Halle
002 390 507


3



Sb.

Hi. 100.





ACADEMIAE FRIDERICIANAE

PRORECTOR

D. PHILIPPVS ADOLPHVS
BOEHMER

MED. ANAT. ET CHIRVRG. P. P. ORDINAR.

ACAD. CAESAR. NAT. CVRIOS. ITEMQVE IMPERIAL. PETROPOL.

NEC NON REG. BEROL. SCIENT. ET PARIS. CHIRVRG. SODALI,

CVM

DIRECTORE

ET

SENATV ACADEMICO


FESTOS ISTOS DIES

REDEVNTI AB INFERIS CHRISTO SACROS RELIGIOSE AGENDOS

INDICVNT.

ADDITA EST ILLVSTRATIO OBSCVRIORIS LOCI

1 COR. XV^o, 51.



HALAE, EX OFFICINA BEYERIANA.

